

3  
L. B. F. F. L. S.  
Dissertatio Philosophica  
D E

CAUSA EXEM-  
PLARI.

QUAM

*Venerabilis & Amplissimi Philosophorum Collegij in Re-  
gia Academia Aboensi probante censura,*

SUB PRÆSIDIO

Viri Præclarissimi,

DN. M. AXELII Kempes/ Philosophiæ  
Moralis & Historiarum Professoris ordinarii, &  
h. t. Decani spectabilis, fautoris & promo-  
toris sui ætatem colendi,

*Ad publicum & solenne examen defert Magisterij  
Philosophici aditurus honores*

SAMUEL BENEDICTI SALA-  
MONTANUS.

*In Auditorio Superiori Maximo prid. Kal. Jun. A. Chri-  
stiani 1661. horis ab octava antemerid.*

A B O Æ,

---

Excudebat PETRUS HANSONIUS Acad. T.

*Reverendissimo & Amplissimo Domino,*

**DN. JOANNI ELAITER-**  
**SERO** S. S. Theologiæ Doctore celeberrimo,  
Diœceseos Aboensis Episcopo longè gravissimo,  
Academiæ Pro-Cancellario & utriusq; Consistorii  
Præsidi magnificentissimo; In Christo Patri, Patro-  
no & Nutritio suo quovis honoris & obsequio-  
rum cultu æternum prosequendo

U T E T

*Plurimum Reverendo, Doctissimo & Humanissimo Viro,*

**DN. BENEDICTO ERICI B.**  
Pastori in *Ramnadis* vigilantissimo, Parenti suo  
piè semper colendo.

Salutem & pacem à DEO immortali sempi-  
ternam precatur.

**T**Endit ad vos, DOMINI, Dissertatio isthæc, quibus alio-  
quin vitam suam spiritumq; quo viget, & quidquid præ-  
terea vel vitâ æstimamus, vel morte servatum cupimus,  
Autor illius libentissime in acceptis refert. Levio-  
rem eam esse, nec dignam satis quæ vestrum vel cujusquam Eruditi  
hominis venerabilem conspectum subeat ipse agnoscit, qui  
alio magis luculento ingenii specimine pietatem suam Vobis  
probare gestiebat, idq; jam paraverat, cum proposito bo-  
nesto intercessere nonnulla, quæ illud non quidem abrupte  
prorsus, aliquantisper tamen distulerunt: cujus exsolvendi  
dum

dum occasio maturior obtigerit, hanc interea gratæ  
 mentis testificationem ad vos mittit, non ut in red-  
 hostimenti vicem, vel illa, vel aliud quidquam ab ipso  
 profectum venire possit, sed quia Conscientiæ suæ con-  
 sulendum existimat, quæ vel sola meritorum vestro-  
 rum cogitatione opprimi se confundiq; sentit. Tantus  
 omni tempore erga eum amor vester, tanta benivo-  
 lentia innumeris & plurquam paternis testata bene-  
 ficiis emicuit, quæ cum in ore & oculis omnium ver-  
 sentur, & plura ac majora sint, quam ut illa vel ani-  
 mo adsequi vel oratione complecti queat, pictorum  
 ingenio præstantium exemplo, quæ nullo unquam ver-  
 borum honore à se pro rei magnitudine satis expri-  
 mi posse confidit, ea sacro silentio religiosè involve-  
 re & obumbrare satius ducit quam dictione parum  
 compta splendorem eorum attaminare, id tantum de-  
 nuo posuisse contentus, ea se debere Vobis semperq; de-  
 biturum esse, pro quibus si vitam ipsam, quæ vestrum  
 quoq; munus & beneficium est, opponeret, nullam ta-  
 men meritorum vestrorum partem adsecutum se puta-  
 ret. Hanc gratæ pieq; mentis declarationem, quando  
 plura non potest, sibi vindicat, cætera Deo committit,  
 cujus Æternæ Majestati itidem non alia ratione sa-  
 tisfacimus Mortales, quam si mente devotissima Cœle-  
 stem illius in nos indulgentiam perpetuò agnoscam⁹, ipsi-  
 usq; honori vicissim vitam nostrā & quidquid præterea

munere ac beneficio illius consecuti sumus, promissimè impendamus.

Accipite igitur DOMINI, tenue hoc munusculum solita lubentia & comitate, idq; statuite hunc vel præcipuum offerenti vitæ suæ fructum fore, si post Deum & Patriam, vestro honori vestrisq; voluntatibus assiduè inservire & obsequi possit. Ea lege iterum se Vobis nexu mancupiog; totum addicit, vestramq; & vestrorum omnium incolumitatem, quâ suam quoq; & rei Ecclesiasticæ non parva momenta contineri intelligit, Deo Opt. Max. supplici voce & animo commendat! Valet. Aboæ 10. Kal. Jun. A. 1661.

Reverendissimæ T.<sup>æ</sup> Amplit.

ET

Plurimum R.<sup>æ</sup> T.<sup>æ</sup> P.<sup>tis</sup>

Observantissimus Cultor  
& Filius

SAMUEL B. SALAMONTANUS.

In



**S**iquam notum & familiare est cunctis nomen Causarum, tam vis earum omnibus manifesta esset, minus utiq; in quaerenda cognitione rerum laboraremus, minusq; certaminum & querelarum inter eos qui literarum & Sapientia studia sequi se profitentur terris seculiq; omnibus continuaretur; quin omnes tum candidam illam veri metam facili negotio attingerent, exoptatumq; Sapientia portum plenis velis quod ajunt nullo remorante invehentur. Sed non hac fors est nostra, nec tam bene cum rebus mortalium agitur proh dolor! Mentem quippe veri cognoscendi studio flagrantissimo incensam fatalis caligo & cæcitas premit, rerum quoq; ipsarum tam latens & recondita vis est, ut non immerito vir sui seculi princeps & philosophus verè eximius Democritus veritatem in profundissimum quendam puteum altissimè demersam dixerit, unde magno labore multisq; vigiliis vix tandem eruatur, quam dum sibi quisq; cæteris exclusis ambitiose occupare contendit, illa quidem adfectuum cæno turbata mentis dedignata contubernium, nec nisi puro liquidoq; recta rationis radio adspici sœta oculis eorum se subducit magis, ipsis autem speciem tantum sui & vestis exterioris panniculos aliquos, de quibus inter se rixentur, objicit. Itaq; non Fortuna magis quam opinionum varietate & fluctibus invicem jactamur, tantumq; abest ut proprias rei cujuslibet causas teneamus, ut nec ea noscamus ritè qua omnibus inter se communia sunt & in promptu posita videntur, quod multiplex Philosophorum dissensus de primis rerum omnium principijs, & causarum natura, numero atq; officiis liquido probat. Stoicis, ut Seneca ipse Stoicus Ep. 66. prodit, unam placet Causam esse id quod facit.

Aristoteles quatuor numerat, Materiam, Opficem  
 Causam, Formam & propositum operis hoc est  
 Finem. His Plato quintam adjecit Exemplar, quam  
 ipse Ideam vocat, hoc est enim ad quod respici-  
 ens artifex id quod destinabat efficit. *Hujus quia  
 minus nota & obvia cunctis est ratio, idcirco naturam  
 & munia illius cum aliis rationibus adducti, tum inpri-  
 mis ipsa nos argumenti suscepti jucunditate invitante  
 positionibus aliquot, Deo favente, breviter pro re nata  
 explanare conabimur.*

I. **E**Xemplar Græcis εἶδος ἢ ἰδέα Latinis forma,  
 Vocis Ex-  
 emplar ex-  
 positio.  
 species, & Græca voce latinitate donata Idea  
 dictum primo quidem de Objectis externis in sen-  
 sus incurrentibus, ad quorum similitudinem alia  
 figurantur usurpari coepit; post à Platonicis ad i-  
 deas rerum omnium in mente divina sive alibi ex-  
 istentes, ut quorundam fert opinio, translatum usq;  
 κατ' ἀντροποιαν tributum est. Sensu latiore pro  
 omni eo ex quo alia ducuntur & propagantur ca-  
 pitur, sive in mente artificis sive extra illam con-  
 sistat. *Nihil enim refert ait loco citato Seneca,  
 utrum foris habeat exemplar ad quod referat o-  
 culos, an intus quod ipse sibi concepit & posuit.*  
 Hinc nata distinctio exemplaris in internum &  
 externum. Nobis tamen de interno Exemplari  
 hac vice præcipuè sermo est. Nam externum ab-  
 est quandoq; , internum semper requiritur. Ita ar-  
 tifex nihil efficit, nisi quod mente sua ante desi-  
 gnavit, licet id quod designat ex alia re jam facta  
 non semper concipiat.

qua notio-  
 ne hic ca-  
 piatur,

Ejus-

Ejusmodi ideas existere cum Philosophorum penè omnium, sanctorumque Patrum consensus unanimes & ipsa Magistra rerum experientia evincunt, tum ex natura & conditione Agentium intellectualium evidenter colligitur. Nam cum hæc ad certam formam operibus suis imponendam ex se determinata non sint, aliunde, per ideas nimirum, ad eam restringi & contrahi debent. Sanè fatendum est exercitium actus Agentia per intellectum voluntati debere; speciem tamen & directionem actionum exemplaribus hisce acceptam ferunt, quæ si abfuerint, nec quæ agerent novissè, nec modum & formam ipsidem statuere possent, quod Agentium per intellectum proprium censetur.

Platonici Exemplarem causam hisce rationibus fulciunt. 1. Exemplaris causa satisfacit quæstioni propterquam res est, E. est causa. Antecedens probant, nam quærenti de Socratis imagine quare sima sit respondetur propter exemplar ex quo eam pictor expressit, quod simum erat. 2. Argumentator Simplicius: Res naturales sunt Entia per participationem. At in omni participatione tria reperiuntur, id quod participat, quod participatur, & id ad cujus similitudinem participatio instituitur. Materia est quæ participat, forma naturalis quæ participatur seu ut latiniùs loquar communicatur. Ergo debet esse quiddam tertium, à quo manet participatio, & cujus particeps efficiatur forma quæ in materiam inducitur, hoc autem nihil aliud est quam idea & exemplar.

II.  
Dati Causam exemplarem probatur.

III.  
Platonicos eandem adferentium rationes  
1.  
2.

IV. 3. 3. Nisi essent ideæ, non posset reddi ulla causa cur in effectione mundi tam multæ ac variæ species rerum productæ sint; ipsum quippe nihilum, ex quo mundus hic productus est, ex se indifferens est & indeterminatum, potentia quæ Dei infinita & ad omnes effectus indifferens. Nisi itaq; variis ideis præditus fuisset Deus, ad quarum similitudinem opera sua postea effinxit, causa dari non posset cur hominem potius quam leonem aut aliud quidpiam produxerit.

V. 4. 4. Si ideæ tollantur nulla satis idonea causa adferri poterit ob quam homo aliæq; species certis naturæ suæ limitibus ita coerceantur, ut semper eandem perfectionem essentialem servent, vel cur animal rationale homo sit, ac non potius piscis aut arbor? Cur etiam Natura eodem modo semper hominem producat? At qui causam exemplarem statuunt, facile has & hujus generis quæstiones alias dissolvere possunt. Suis enim singulis rebus naturalibus Modus mensura & numerus à Deo immutabiliter præstitutus est, prout uniuscujusq; speciei ideam mente sua ab æterno complexus erat.

VI. *Exemplar internum definitur forma mentis juxta quam agens per intellectum alia extra se certum ob finem producit.*

Definitio  
Exemplaris

VII. Dum primò Exemplar formam mentis dicimus eorum opinionem rejectam volumus, qui Exemplar prout intellectui objicitur & res est concepta ad alia efficienda vim suam exserere putant. Nobis contra ut est mentis conceptus, eiq; verè ac realiter inhæret modum ac speciem suam esse.

Exemplar  
ut est conceptus ad  
res producendas  
concurrat.

Et im



cto impertiri videtur, idq; probamus primò deis deis in mente divinâ: Illæ enim veræ sunt causæ cur res omnes hoc potius quàm alio modo sapientissimè à Deo sint constitutæ. At res creatæ, antequam per creationem essentiam suam adsequerentur, non dum erant, multo minus modum ac normam res condendi intellectui divino imprimere, aut sibi ipsis speciem certam tribuere poterant. Ergo res Creatæ prout intellectui tantùm obijciuntur exemplar non sunt. Idem quoq; similiter de ideis in mente Artificum ostendimus. Nam nec ipsam artefactum, quatenus obijcitur artificio, est causa exemplaris, nec aliud quid ab eo diversum. Non hoc: Exemplar enim externum, quanquam interdum, non tamen semper intervenit. Adde quod non de externo sed interno exemplari nunc præcipuè disputemus. Sed nec ipsum illud artefactum prout intellectui obijcitur exemplaris causa est, hæc namq; actionem efficientis, ut certo modo procedat moderatur. Ipsum verò objectum faciendum Agens eo pacto moderari nequit. Dirigit ergo & ut exemplar ad opus concurrat ipsa cognitio Modi efficiendi rem agentis intellectui inhærens.

Ob finem & juxta exemplar à semet perceptum agere naturis mente & intellectu præditis peculiariter competere putamus. Hæ enim eorum quæ agenda sunt designationem animo suo complecti possunt. At agentia præsertim purè naturalia, quia non ratione modo sed & vita ac sensu plurima eorum destituuntur, non tam exemplar quod ipsa percipiunt in agendo sequi,

#### VIII.

Per Exem-  
plar agere  
quibus præ-  
cipuè cons-  
veniat.

quàm vi aliunde impressa ferri agique videntur.

**IX.**  
Exemplar  
opus aliis  
quod extra  
intellectum  
respirat

Addimus præterea Exemplar formam esse mentis juxta quam res aliæ producantur. Idea enim non simplex & nuda rei alicujus in mente designatio est, nec ut concipias quidquam requiritur, cum ipsa sit conceptus, sed eò tota comparatur, ut ad illam alia deinceps exprimantur, aut exprimi saltem possint. Unde equi e. c. leonis, aut alterius rei naturalis animo concepta species minus propriè idea illius dicetur, cum vi producendi eandem intellectus concipiens non possit. Deus verò, quia res, quarum modos ac rationes æterna & infinita mente sua complexus est, simul quoq; ex nihilo, si opus sit, procreare valet, rectissimè à Seneca *plenus his figuris dicitur, quas Plato ideas appellavit, immortales, immutabiles, infatigabiles.* Hinc factum, ut cum idea omne exemplar sit secundum quod res intelligens aliquid producit, principaliter tamen idearum nomen solis iis exemplaribus, quæ in mente divina existunt, autores adcommodent. Tantùm artes factorum respectu aliquæ etiã naturis intelligentibus tribuuntur. Quamvis enim res naturales, prout eas adprehendunt, producere nequeant, possunt tamen res artificiales juxta mentis suæ designationem & formam animo conceptam efficiere.

Deo  
κατ'  
ἐξ ὅλης  
tribuitur.

**X.**  
Ad quod  
Causæ generis  
nomen exemplar  
res referendum  
sit?

Hæc de natura Exemplaris in genere allata sunt. Nunc porro inquiremus utrum exemplar Causæ nomen mereatur, diversumq; à cæteris Causæ genus constituat, an verò ad aliquam illa-

rum

rum possit debeatve reduci! Seneca loco supra laudato Exemplar ut alia multa numero Causarum eximit, & opificis causæ conditionem tantum, siue ut ejus verbis utamur, *instrumentum necessarium* facit.

Seneca,

Platonicorum opinionem & argumenta quibus eam adstruunt, jam ante retulimus, quos ex recentioribus Patres Connimbricenses sequuntur, qui 2. Phys. c. 7, 4 Exemplar peculiare genus Causæ formalis constituunt. Cum enim alias forma interna Causa sit, hanc externam vocant. Porrò si quis Aristotelem iis obducatur, ajunt eum, dum quatuor causarum genera recenset, ad Causas in communi respexisse duntaxat, quas si speciatim persequi voluisset, multò plures numeraturum fuisse.

XI.

Platonici  
& Connimbricenses.

Alii tamen, & princeps ipse Aristoteles ejusq; Præstantissimi interpretes & Philosophi quaternarium numerum causarum ab Aristotele positum retinentes exemplarem Causam sub efficiente, velut ejus modum peculiarem in agentibus intelligentibus comprehendunt, quorum sententiam nos quoq; amplexi per singula causarum genera eundo non aliò quam ad efficientem Exemplar pertinere monstrabimus. Nam primò cum Causa materiali ne quidem similitudinem aut convenientiam aliquam Exemplar habere potest, hoc enim determinat & complet aliud, illa actum & determinationem aliunde impressam recipit. Quid quod materia & forma rei, quam constituunt, efficientiam ingrediuntur; at exemplar extra effectum in mente opificis existit.

XII.

Aristotelis  
& aliorum  
vulgatior  
sententia,  
caq; veteris.

Ad Materiam  
vel formam  
reduci  
consequitur.

**XIII.** Sed neq; ad finalem causam Exemplar quâ tale  
Neq; ad finem, **reduci potest.** Nam primo Finis non complet  
Efficiens, sed illud jam completum & constitutum  
motione Metaphorica ad agendum impellit. Ex-  
emplar vero ex parte complet & constituit Effi-  
ciens, quatenus exemplari destitutum per scienti-  
am aliquid efficere nequit. Deinde à fine &  
propter finem res est simpliciter. Ab exemplari  
& propter exemplar non item, sed tantum qua-  
tenus id ipsum dirigit ac determinat in agendo, à  
cujus effectione res simpliciter dependet. Sic  
statua est ideo, quia statuarius eam produxit; i-  
tem quia pecuniæ indigus & adpetens erat, quam  
ex illa perfecta & divendita confecturum se spe-  
ravit. At non est ideo simpliciter, quia statuari-  
us norat quomodo illam formaret, sed secundum  
quid tantum, quatenus illud scire quomodo for-  
manda sit statua ad effectionem illius necessari-  
um est.

**XIV.** Exemplar ad efficientem causam pertinere se-  
Sed ad Effi- quentes rationes persuadere videntur.  
cientem  
Rationes,

1. Ars omnis ejus, quod per eam producitur,  
causa efficiens est, sed eadem modum quoq; & desi-  
gnationem rei faciendæ i. e. ideam illius includit;  
hinc qui artem medendi, e. c. ignorat, is nec ide-  
am illius possidere potest, quæ in modo curandi  
morbos, horum ut medicamentorum conveni-  
entium adcuratam supponente scientiam consistit.

2. Intellectus quâ intellectus quicquid efficit per  
ideam efficit. At idem intellectus eorum, quæ ab  
ipso procedunt, causa efficiens est, non formalis aut  
finalis

finalis E. quoq; idea sub efficiente continetur, & ad modum Efficientis in effectum influit.

3. Sicut in agente intellectuali libero voluntas est efficiens principium rei quæ efficitur; illa enim agens ipsum ad agendum impellit: ita quoq; idea eodem spectabit, quia determinat quid & quomodo agens facere oporteat.

4. Formis naturalium agentium ideæ in agentibus per intellectum certa proportione respondent, unde sicut illæ operationum quæ à composito proficiscuntur efficientes causæ sunt; ita hæ quoq; operum quæ per intellectum efficiuntur, causæ Efficientes erunt, vel certè ad completam Causalitatis effectivæ rationem pertinebunt.

5. Accedit 5.to autoritas & suffragatio Aristotelis qui libro 7 Metaphysicorum c. 3. ait domum materiale ex immateriali domo, quæ est in mente artificis, produci, & sanitatem quæ fit in corpore proficisci à sanitate, quæ est in mente medici.

Ex his liquet Exemplar sive ideam perperam à Platonis & Connimbricensibus quintum causæ gen<sup>9</sup> constitui, commodissimè autem sub efficiente comprehendi, vel ut conditionem tantum illius ad agendum necessariam, ut Senecæ visum, vel ut momentum & determinationem illius peculiarem, à qua tamen effectus verè dependeat, quæ Svarczii & aliorum probabilior fortè sententia est, ut ex iis quæ hæcenus de natura Exemplaris Causæ disseruimus, nec repeti opus est, constare putamus. Malè verò Seneca Causæ nomen instrumentis detrahit, cum illa quoq; licet secundariò

3.

4.

5.

## XV.

Exemplar veram esse Causam contra Senecam ea sentire videtur.

& aliunde directa atq; adplicita esse suum effecto conferant. Nec melius idem ille hæc ut & Ideas cum iis, quæ Causæ sine qua non vulgò dicuntur, confundit: *Id enim est, ut Plato eleganter in Phædone loquitur, non distingvere posse, quod aliud quid sit vera causa, & aliud id sine quo causa esse causa non potest, quod vulgus mihi videtur tanquam in tenebris palpitans & alienis oculis utens Causa nomine appellare. Idem Cicero lib. de fato docet Non sic Causa intelligi debet, ait, ut quod cuiq; antecedit id ei causa sit, sed quod cuiq; Efficienter antecedit: nec quod in Campum descenderim id fuisse causa cur pila luderem: nec Hecubam causam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum genuerit, nec Tindareum Agamemnoni quod Clytemnestram: Hoc enim modo viator quoq; bene vestitus causa grassatori fuisse diceretur, cur ab eo spoliaretur.*

## XVI.

Exemplar  
instrumentariæ cau-  
sæ speciei  
peculiaris,

Porro si quis adhuc quærendo instet ad quam speciem efficientis Causæ Exemplar pertinere arbitremur? Resp. perinde quodammodo esse sive cum Calovio Cap. XV Metaph. Div. ad §. XI Efficientis principalis peculiarem speciem statuamus Exemplar, sive, quæ aliorum vulgatiores est sententia, instrumentalibus causis illud adnumeremus; nobis tamen posterior sententia magis probatur, cujus rei in ipso, si Deus volet, & occasio nascetur, congressu rationem plenius edisseremus. Coronidis loco sequentes quæstiones adjicere lubet.

1. An inventio & dispositio Oratoria à Logica plurimum distent, ac proinde non duæ tantum Rhetorices partes sint, ut Ramus statuit? Adf. utrumq;.

2. An

2. An Philosophica, Oratoria & Poëtica argumenta sub unam eandemq; Analy-  
sin cadant? Neg.
3. An ex variis Abstractionum generib<sup>9</sup> di-  
stinctio disciplinarum unicè arcessenda  
sit? Neg.
4. An ex loco Gen. 1, 7. aquas supra ex-  
timum cœlum collocatas esse solidè sa-  
tis evincatur? Dubium.
5. An temperamenta mixtorum corpo-  
rum, & imprimis viventium solo ele-  
mentarium qualitatuum concursu absol-  
vantur? Neg.
6. An duo sint hujus universi Principia  
æquè prima & independentia, quorum  
unum bonorum alterum malorum o-  
mnium causa existat, uti præter vete-  
res Philosophos, de quibus Plutarchus  
in libro de Iside & Osiride, Manichæi  
quoq; Epiphonio teste Hæres. LXVI. sen-  
serunt? Neg.
7. An divinus concursus motione prævia  
causas secundas ad agendum excitet,  
quæ Thomæ Aquinatis, & ex recentio-  
rib<sup>9</sup> Adriani Heerbordii disp. select. X.  
th. 1. & seqq. aliorumq; ex reformatis Theo-  
logis & Philosophis est sententia? Neg.

8. An poenæ juxta Arithmeticam potius quam Geometricam proportionem infligendæ sint? Adf.
9. An lex rationis, quam præeunte sine dubio Divino Mose Exod. 21, 24. Lev. 24, 20 & alibi, Pythagorei, de quibus Aristoteles l. 5. Eth. c. 5. Romani l. 53 XII. Tabb. & Nostri c. 39 *Æd. b. l. l.* statuerunt, æquitati consentanea sit, nec in speciem duntaxat, sed ut revera in effectum traduceretur lata? Adf. Urr.
10. An raptus virginum Sabinarum, de quo Liv. l. 1, 9 excusari mereatur? Adf.
11. An publica bella Romanorum & Albanorum exemplo apud Livium l. 1, 24 duello transigere vel fas sit, vel reip. expediat? vix puto.

*Praclarâ eruditione & virtute Præstantissimo Viro-Juveni,*  
 DN. SAMUELI BENEDICTI, Philosoph.  
 Candidato dignissimo, Fautori & Amico suo  
 plurimum honorando :

**C***Astra diu Phœbi sectate satellites, amœna  
 Pallados ex merito fulgida templa petis.  
 Sic rude, sic lauru & sophicâ condigne tiarâ,  
 Accipis hæc studij præmia grata tui.  
 Qui tibi legitima titulos ratione parasti,  
 Vive diu patriæ, Castalidumq; decus!*

Novos honores ex animo gratulab:

MART: MILTOPÆUS  
 Eloq. Prof. P.